



LVdouicus natus est apud Sueuos in ducatu
 Vuirtembergico anno 1509. Is cum prima rudi-
 menta literarum feliciter iecisset, sese ad academiã
 Tubingensem contulit, & liberalium artium & lin-
 guarũ studijs operã dedit. In ijs cum egregiè profe-
 cisset, animum ad Iurisprudentiam appulit, atq; in
 ea adeò profecit, ut omnium applausu Doctoralia
 insignia impetrarit. Accedebat & uitæ integritas,
 religionis amor, atq; singularis prudentia, cum ad-
 iuncta facundia. Id cum Senatus Argentinensis in-
 tellexisset, eum ad se uocarunt, atq; suæ urbis syndi-
 cum constituerunt, anno circiter 1541. Ibi Ludouicus
 res sibi commissas magna dexteritate expediuit,

atq; cū Iacobo Sturmio, uiro omnibus uirtutibus ornato, urbis nomine mul-
 tis comitijs interfuit, & omnibus doctis innotuit. In primis uerò post bellum
 Smalkaldicum, cum noua religionis forma, quam Interim uocarunt, Carolus
 Cæsar Imperij statibus obtruderet 1548, Augustam legatus missus fuit, atq; cū
 Cæsare suæ Reipub. causa egit, ut religionis causa cognosceretur, antequã ali-
 quid certũ in ea statueretur. Mox etiam in Septembri, Cæsaris responso in sena-
 tu Argentinensi expenso, unã cum Iacobo Sturmio & Matheo Gigero denuò
 Ludouicus ad Cæsarem Spiram mittitur, quem etiam Moguntiam, & deinde
 Coloniam usq; secutus est. Ibi post multam actionem tandem legatis conces-
 sum, ut cum suo Episcopo de religione transigerent, ea lege tamen, ut si non
 conueniat, penes ipsũ Cæsarem sit arbitrium.